



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt V. Agitatur Concilij celebratio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11642

1530. congregaretur. Sed cum diuino humanoque iure interdictum sit, ne suum ulli auferatur, iuebantur interea erepta Ecclesiasticis bona restitui.

Verum his conditionibus reiectis à Protestantium primoribus aliud Edictum edidit, cui reliqua Principum Ordinumque Imperij pars subscripsit: vbi cum ea omnia quæ in priori continebantur, eiusque insuper repulsam commemorasset; recensitos errores, quibus Anabaptistæ, Zuingliani, Lutherani que quæ in doctrinis, quæ in ritibus insistebant, singulatim prohibuit; Ecclesiastica bona reddi iussit; in suam Imperijque Fidem recepit hæreticorum subditos, dummodò in Catholica Religione fideliter persisterent; cunctisque iniunxit, vt ad Concilium adeundum essent parati, quod à Pontifice se impetraturum intra prædictum temporis spatium pollicebatur.

C A P V T V.

Agitur Concilij celebratio.

Vbi Cæsar ad Comitia peruenit, animaduertat communis Germanorum vota ad Concilij celebrationem propendere. Illud hæretici efflagitabant; leuiores quidem egentioresque, melioris fortunæ spe ex ea publici corporis commotione: sagaciores verò potentioresque, cunctationis studio, protrahendæque minus impudenter contumaciæ; ceterum sperantes, vel se minime impetraturos, vel certè impetraturos eâ formâ, vt possent aliquid postea prætere ad Concilium recusandum. Alioquin hi Concilium non solum non cupiebant, sed formidabant; certi professionis, & veriti Tribunal tantæ auctoritatis ac roboris. Imò cum esset Concilium ex Ecclesiasticis conflandum, pertimescebant latere, ne ab illo adigerentur ad reddenda Ecclesiæ sublata bona; adeo vt Aleander, in Wormatiensi Conuentu Nuntius Pontificius, hæreticis perpetuò Concilium conclamantibus, simulauerit semel, per tabellarium, qui Româ alia de causâ aduenerat, fuisse ad se delatum Decretum de Concilio conuocando, confestim verò cunctis mœsto silentio conticuerint.

Catholici pariter postulabant; aliqui ob detectam aduersariorum artem; aliqui, propterea quòd admotis iam frustra lethalibus Germaniæ morbo aliis medicaminibus, anceps potius quam nihil malebant; quidam denique, vt omni excusatione refractarios exartarent, omni que fide apud communem omnium opinionem

In Scriptura
ab Aleandro
missa ad
Campeg-
gium, cum
Legatus ad-
sit Norim-
bergensem
Conuentum.

exuerent. Fixa igitur in animo Cæsaris stetit huius necessitatis persuasio, eamque ab initio Pontifici significavit; à quo responsum illico: "Quæsiisse se super ea re sententiam à peculiari Purpuratorum cœtu; multosque censuisse, Concilium haud profuturum: duasque potissimum ob causas: Primò, Quòd Oecumenica Concilia cogi consueuerunt ad nouas opiniones expendendas, non verò iam damnatas à prioribus Conciliis iterum agitandas; quales erant recentium hæreticorum sententiæ. Eas enim tunc in disputationem reuocare, perinde videbatur, ac certissimam Ecclesiæ auctoritatem perstringere: nec posse nouum Concilium in eo plus auctoritatis obtinere, quàm veterum definitiones obtinuerant. Secundò, Bellum Turcicum, quod imminebat, Christianas nationes auersurum à Concilio prosequendo; quod certè absque grauissima perturbatione dissolui non posset. Quinetiam per eam occasionem in vnum coactis tot hominibus turbulenti & contumacis ingenij, timendum esse, ne inter eas Christianæ gentis angustias iidem iniqua minimeque decencia tum à Cæsare, tum à Pontifice violenter exposcerent. In summa, redigendum esse in memoriam, corruptionem optimi, pessimam. Quare quemadmodum ad curandos Ecclesiæ morbos salubrior medicina non suppetit quàm Concilium temporis coactum; ita nullum esse pestilentius venenum, quàm Concilium celebratum eà temporis conditione, ex quâ eiusdem perturbatio exoritur. Adiecit tamen Pontifex, cunctis hisce rationibus præualuisse apud se Cæsaris sententiam, qui summo Religionis studio, summaque prudentiâ præditus, eam Prouinciam habebat ob oculos, cui curandæ huiusmodi medela proponebatur: proinde illi concedere, vt si opportunius existimasset, Concilium Pontificis nomine sponderet. Cùm autem Cæsar id sub conditione postulasset, dummodò interim hæretici à suis erratis se deducerent, Concilioque obtemperaturos pollicerentur; petebat hinc Pontifex, vt omnino propositæ conditiones seruarentur, sine quibus, aiebat, indignitatem ac detrimentum Ecclesiæ vitari non posse. Atque ab his compulsus, videtur Cæsar per vtrumque Edictum in illis conditionibus firmissimè perstitisse. Eundem rogabat Pontifex, vtea, quæ in Concilio discutienda forent, curaret in eos paucos articulos redigenda, de quibus hæretici potissimum litigabant, quò diuturnæ moræ parceretur, quippe quæ periculo numquam vacat.

De Concilij loco, cùm ibi Cæsar adfuturus esset, parum dicebat referre Pontifici, quicumque tandem is esset: sed vbi videretur in Italia cogendum, tamquam in Prouincia nulli nationum suspecta, cunctis-

1530.

* Literæ
chirographo
Clementis
tom. 2. Literæ
ad Princip.
31. Iulij
1530.

Historia
Concilij
Tridentini
lib. 3.
cap. 5.

1530. cunctisque satis accommodata; aptissimam ad id Romam existi-
mare, Religionis Regiam, ac rebus omnibus affluentem ceteri op-
portunis: quandoquidem huiusmodi Concilium neque schisma-
tis causâ, exorti ex ambiguitate veri Pontificis, aduocabatur; neque
ob controuersiam inter Principes Christianos, in quibus conditio-
nibus ea Vrbs suspicioni esse potuisset: sed solum ad euellenda erro-
rum semina, parandamque expeditionem in Turcas. Sin autem
Roma minus placeret, Bononiam à se proponi, Placentiam, ac de-
mum Mantuam Cæsaris beneficiariam, & Germaniæ proximam.
Quapropter per calumniam Suauis affirmat, à Pontifice non nisi di-
tionis Ecclesiasticæ urbem propositam, eò quòd prænosceret, Ger-
manos in eo minimè consensuros; vt euenit. Vtrumque plane fal-
sum; cum & Pontifex Mantuam obtulerit Concilio, prout videre
licet in literis memoratis; & is locus Germanis placuerit, vt con-
stabit. Et quoniam emendatio morum constanter exposcebatur,
per eandem literas petiit à Cæsare Pontifex, vt ea quæ corrigenda
viderentur, sibi perscriberet, pollicitus se suo muneri haud defuturum.

Ex hisce literis sincerè perpensis satis liquebit, an Pontifex Con-
cilium per simulationem obtulerit, an etiam, cum illud Cæsar pos-
tulauit, sibi offensionem duxerit; nec minus, an putauerit iniuriam
sibi illatam ex Augustanis de Religione congressibus iussu Cæsaris
initis, quod Suauis autumat: cum satis constet ex temporum ratio-
ne, multò prius quàm Pontifex hasce literas scripsit, à Cæsare datâ
fide publicâ hæreticos accitos ad iam paratum congressum: adeo-
que Pontificem huius rei conscium, haud prætermisurum fuisse
illum ab eo dehortari re adhuc integrâ, dum eidem per concessio-
nem Concilij gratificabatur. Quin è diuerso mihi persuadeo, quam-
quam Pontifex noluisse se illi negotio intermiscere, ne vel ipsius
particeps, vel ipsi consentiens videretur; qua de causâ Legatus
Pontificis nec interfuit Conuentui, quo die Confessio hæreticorum
perlecta est, nec voluit confutationem suo nomine proferri, tam-
rem illi gratam accidisse; quoniam hinc Cæsar Iudicis potestatem
in rebus Religionis sibi nequiquam arrogauerat, sed intactâ semper
Sedis Apostolicæ auctoritate, cuncta cum Legato communicauit.
hinc Pontifex spem summam locauerat * in officiis præsentiaque
Caroli, quam in eo spem alebat Dani conuersio, quæ sub illius ad-
uentum acciderat: proinde non parum profutura existimabat Cæ-
saris tentamenta, lenitate atque auctoritate permixta. Sic enim vel
hæretici reconciliarentur, & tunc Pontifex ingentem victoriam re-
portasset absque sumptibus, hoc est, absque incommodis pericu-
lisque

* Literæ
Pontificis
chirographo
ad Cæsarem,
23. Iunij
1530. in
2. lib. Liter.
ad Princip.

1530.

* 16. Octobris 1531.

* Literæ Aleandri ad Sangam, 23. Aprilis 1531.

* Hæc exstant in libro citato Archiuij Vaticani Instructionum.

hisque Concilij: vel obfirmati persisterent; tunc verò & in maius odium Imperij Ordinum incidissent, & hi maiori studio ad illos nouis proseriptionibus percellendos incaluisent, neque Pontifex incusari poterat, quasi mollibus quieti Germaniæ consiliis obstipisset. Quinetiam compertum mihi est, Legatum semel in opinione fuisse adeptæ propemodum magis quàm adipiscendæ concordia: vnde in epistola * ad Aleandrum, Archiepiscopum Brundisium, Nuntium in Spirensi Conuentu scripta, ostendere studens, quantum noceat agendi asperitas cum Lutheranis, queritur, Augustæ, cum die postero ea esset stabilienda concordia, importunè à Fabro editum fuisse librum, inscriptum *Contradictiones Lutheri*, & ab Eckio, *Syllabum hæreticorum*, vbi Melanchthon recensebatur; quibus rebus illius factionis furor, iam quasi extinctus, reuixit. Illud porrò, quod Suauis addit tamquam aliam causam offensionum Clementis, nimirum quòd consenserit Cæsar auctoritate suâ quibusdam ritibus delendis; haud est historici, narrationem rerum notitiis, sed somniis contextentis, cum constet, huiusmodi consensus in illis actis ne vestigium quidem conspici. Quod si fortè Cæsar (quod equidem ignoro) spem aliquam Lutheranis fecisset, vbi Fidem Catholicam ij penitus recepissent, indulgentiam ipsis alicuius Ecclesiastici mandati relaxationem, discrimenque in aliquo leuiori ritu ab Romanæ Ecclesiæ vsu, vt in Concilio Florentino Græcis permissum fuerat; id sanè fecisset ex aliqua arcana concedendæ facultatis sibi facta spe, de qua, sicut ipse postea Ratisponæ significauit Aleandro, * censebat sibi aliquid à Pontifice indicatum. Quin ex altera Melanchthonis epistola palam fit, totum negotium ab auctoritate Legati pependisse.

5 Ad Historiam redeamus. Deerat conditio, sub qua Cæsar Concilium poposcerat, hoc est, * vt interim hæretici obtemperarent. Non tamen idcirco destitit ab eo petendo: sed Pontifex per Legatum, suosque Nuntios, Episcopos Vasonensem, & Dertonensem (erat hic Hubertus Gambara, qui prius in Lusitania, Gallia ac Britannia Nuntium egerat, at postea inter Purpuratos adscitus) exposuit, præter adductas in memoratis literis rationes, pericula ex præfenti Lutheranorum contumacia impendentia: duplici ex causa tunc expeti Concilium, & quòd dissidia Religionis componerentur, & quò Christianorum defensio aduersus Turcas firmaretur, sed neutrius inde spem affulgere.

6 Quod spectabat ad primum: Vel admitterentur hæretici ad discipendum de articulis per priora Concilia iam damnatis, vel non.

Pars I. H h Alte.

Historia
Concilij
Tridentini
lib. 3.
cap. 5.

1530. Alterum nocentissimo futurum exemplo, & in perniciem auctoritatis Ecclesiæ, cum inde posteri docerentur, eam habere præsentis Concilij rationem, quæ in ipso de præteritis fuisset habita. Neque facilius ex eo consensionem secuturam, cum Lutherani non aliam adhiberent rebus Fidei normam, nisi Bibliorum literam in eorum parte, quæ ipsis pro legitima habenda videbatur, & ex veritate, quæ pro ipsorum libidine fidelis asserebatur, eamque locorum interpretationem sequerentur, quæ ipsorum ingenio magis placuisset; quacumque auctoritate despectâ, quæ in aliis interpretationibus inesset, siue ob diuturnitatem sæculorum eas amplectentium, siue ob interpretum sanctitatem ac sapientiam.

Per alteram non modò reconciliationi viam omnem interclusum iri, sed hæreticos ad atrociorum rabiem irritandos; quippe conquesturos, se vel ab ipso congressu reiectos. Satis intelligere Lutheranos, scissam Ecclesiam per Concilia resarciri non posse, quorum auctoritas ab ipsorum magistris tam aperte contemnebatur: adeoque non ex alia causa ab illis ea peti, nisi ad fucandam inter ipsorum contumaciam. At ex alio capite formidanda ex huiusmodi Concilio acerbiora diffidia: Vigere adhuc memoriam eorum, quæ in Basileensi Conuentu per tranquilliora tempora contigerant: magis in præsentia verendum, ne quod turbulentius & ambitione plenius caput, vel, si non alij, ipsi certè fautores hæreticorum ex arte iacerent in medium in primis quæstionem de Principatu inter Concilium & Romanum Pontificem: quæ tunc duobus Concilia, duosque Summos Pontifices spectandos dederat in Orbis theatro per vniuersæ Ecclesiæ discrimen atque commotionem, nequidquam obsistente immenso religiosissimi Sigismundi Cæsaris studio, cuius indefessâ operâ eidem Ecclesiæ post diuturnum scissima tranquillitas parta fuerat; multò minùs illi Carolum restitutum id temporis, cum domi Lutheranorum conspiratione, foris Turcarum potentiâ infestaretur.

In huius litis decisione, si Concilij Patres veræ parti ac Pontifici ei propitiæ adhæsisent, reclamatuos illicò Lutheranos, non liberum, quinimò neque Catholicum esse Concilium; vixit quod repugnaret Decretis Constantiensis, quod quantumuis à Lutherano in aliis effatis repudiatum, in hoc tamen tanquam oraculum acciperetur; nullâ prorsus habitâ ratione, quòd tunc in eo lis ageretur non de vno certo Pontifice, sed de pluribus dubiis, qui non possent alterius subditi iudicio, nisi Concilij; perinde, vt accidit in quocumque Principatu, quamuis ad vnum absolute Principem referatur.

feratur. Sin è contratio pleriq; in Concilio, quâ ducti ambitione, quâ improbitate, quâ etiam fraude decepti, in opinionem oppositam propenderent, mallentque indiscriminatim admittere Constantiensem sanctionem, cuiusque potestati Cæsareæ ac Pontificiæ Concilium anteferentem; inde forsitan euenturum, vt ad obluſtandum fortius vtrique aduersæ potentix, opem ac subsidia quærent à factione Lutherana, eius erroribus approbatis; eaque viâ niterentur erigere populare Tribunal in Christiana Republica, cui liceret Regnorum omnium titulos recognoscere, sibi que Coronas omnes subiicere, conuulso tum vnius Hierarchiæ, tum multiplicis profanæ Monarchiæ statu. Quæ certè damna, tametsi timenda non essent Ecclesiæ, Christi promissis innixæ; non tamen per consilia minus prudentia, suâque sponte periculosa Deum tentandum.

9 Quod ad alterum spectabat, vt videlicet contra Solimannum subsidia compararentur; considerandum esse, nihil ad eam rem Concilium conducturum, cuius initium ad sesquiannum trahebatur, ante quod tempus Solimanni arma imminebant; qui etiam si alioqui moram trahere habuisset in animo, statim ac indictum Conuentum audiret ad contrahendas in vnum contra se vires Christianæ Reipublicæ, expeditionem maturaret: interim verò, qui malent parcere sumptui, & illius collationis incommodo, ad excusationem prætenderent, velle se præstolari, quam cuique partem ferendi subsidij Concilium decerneret. Præterea, quænam esset rerum peruersio, Synodo simul belloque operam dare? Quamto confidentius hæretici, armis instructi, minitantesque se ad hostem transfugituros, vt ab Ecclesia & ab Imperio per vim extorquerent eas facultates, quæ confestim ab aliis populis dein efflagitæ, vtrique Principatui excidium inferrent? Quâ fieri posset, vt belli tempore Concilio Cæsar interesset, cuius præsentia vnice fretus Pontifex posset & seipsum & Dei causam tutò concredere illi Conuentui citra schismatis metum inter tantam nationum, affectionum, ac sententiarum varietatem? Postremum erat, videri Vaticanis Patribus negotia Fidei pertractantibus, Concilium ad neutrum ex optatis finibus quidquam conducere; quin grauissima euidentissimaque pericula vtrique minari: nihilominus Pontificem in Cæsaris Imperii que prudentia se collocare, & malle Consiliarij solùm partes exercere, vbi Iudicem agere potuisset: disertè tamen significare, ad id opus esse ceterorum Christianorum Principum consensu, ac præcipuè Gallorum Regis.

10 Transgressus in Belgium Cæsar, Pontificis Ministris ex scripto respon-

In libro citato Archi-
uuj Vaticanæ

Hh 2

Historia
Concilii Tridentini
lib. 3.
cap. 5.

1530.
* Sleidanus
in fine lib. 7.

respondit: Allatas Pontificis nomine rationes, grauissimas videri, easque se per literas exposuisse fratri Romanorum Regi (* electus hic fuerat in Comitibus Septemviralibus Coloniae habitis paulo post Generalem Augustanum Conuentum) aliorumque Principum Catholicorum consilio; cunctosque in ea persistere persuasione, Concilium superesse vnicum ac necessarium his vlceribus medicamentum. Proinde ad obices amouendos, se iam Regi Galliae proposuisse Concilij conuocationem, & mutuam vtriusque foedus ad tuendam ibi ab omni iniuria indemnem Sedem Apostolicam, ac ipsum Pontificem: Gallum vero assensum esse Concilio, de altero nondum post duos menses responsum reddidisse. Verumtamen se probari quidquid Gallus Pontifici significasset, ad quem nouerat ea de re perscripsisse. Se ob oculos Pontificis ponere grauissimum ex dilatione periculum: *Vt ipse (inquit) tamquam Christiana nationis Praeses, cuius obsequium & obedientiam deferri ab omnibus par est, illud discernat, prout magis expediat Domini nostri gloriae, Religionis Christianae praesidio, ac sanctae Matris Ecclesiae, Sedisq; Apostolicae inuicemitati. Ac pro curia habeat, Caesarem cum Rege fratre, quo res apte procedat, & praesentia, & suarum ditionum viribus illi adfuturum, vti ipse iam sponderat. Idem sperabat, reliquos Christianos Principes praestituros, vbi sanctissimum Pontificis Decretum accepissent.* Cum igitur Clemens ex Senatus Purpuratorum sententia ad Dertonensem Episcopum misisset conclusiones cogendi Concilij cum Caesare faciendas, si constanter cense-
ret illud opportunum fore; Nuntius tunc eas exposuit.

In libro In-
structionu,
in diuersis
scripturis
spe & antibus
ad Conci-
lium, in Ar-
chiuio Va-
ticano.

Prima erat: Vti Synodus indiceretur & haberetur tantummodo ad contrahenda contra Turcas subsidia, ad Lutheranos ad frugem reuocandos, ad haereses extinguendas, ad pertinaces mulctandos. Erat profecto ea conditio rationi consentanea: si enim Concilium indiceretur, ac generatim coiret ad quaecumque agitata, verendum sane erat, ne haeretici ex reis callide actores euaderent, virgutes morum emendationem, legumque mutationem; & ne multi ex eo coetu, vt assolet in huiusmodi rerum capitumque varietate, spe ducti alicuius sanctionis sibi conducibilis, in postremum locum Religionis controuersias discutiendas reicerent: ex quo ingens dis-
gladiatio ac perturbatio esset oritura ob iudiciorum vtilitatumque dissidia, nec vniquam ad definienda dogmata deueniretur, quibus animorum salus & Ecclesiae vnitas firmarentur; adeoque Con-
cilium noua potius Christianae Reipublicae vulnera infixisset, quam inflicta curasset. Verum haec tam valida ratio à Pontifice prolata iur-
gueſcebat; quippe qui rem suam agere videbatur, quasi formidat-

set à Concilio ad quæcumque vniuersè facienda coacto, Aulæ Pontificiæ correctionem. Quapropter à Cæsare responsum; Quò præcedentium Conciliorum mos seruaretur, omnisque præcluderetur aditus contemptui atque calumniis, satis videri absque vlla coarctatione illud conuocare; cum postea in ipsa re ad Pontificem pertineret, quid in eo proponendum, quid agendum, præscribere. Ex qua responsione scripto tradita satis liquet, à Cæsare Pontificicè fuisse agnitum vt moderatorem Concilij, non vt illi subiectum.

12 Altera conditio erat: Vt ipse Cæsar interesset Concilio, eoq̄ue abeunte Concilium ceu dimissum haberetur. Ex quo intelligitur, quàm discrepet à vero id quod Suauis hac in re comminiscitur de Pontificis animo Cæsari diffidente; cum potius ex aduerso Clemens consideret, Cæsarem præsentia maiestate futurum vnicum tutamentum inter tot ingeniorum propensionumq̄ue discrimina. Ad hoc Cæsar respondit: Vbi statueretur Concilium maturè indicendum, se quibuscumque posthabitis libenter interfuturum, quamdiu ad prosperum rei exitum id opportunum censeretur.

13 Tertia: Vt in Italia Synodus haberetur, in vna ex vrbibus à Pontifice designatis in epistola supra commemorata. Responsum à Cæsare: Sibi quidem placere vrbes omnes à Pontifice propositas; at verò Germanis Mantuam acceptam fore, quæ inter alias proponebatur, vel Mediolanum.

14 Quarta: Ne quisquam Ius suffragij obtineret, nisi cui è sacrorum Canonum præscripto tribueretur. Eâ conditione opus erat, quòd innotuerat hereticorum sententia, quæ iuxta laicis ac Episcopis ius suffragij concedebat: adeoque nisi hoc præcaueretur, Concilium iniri non poterat; cum in comperto sit, antequam iudicium exerceatur, oportere iudicem constitui. Responsum ad id generatim: Formam ac morem superiorum Conciliorum in eo seruanda; quòd excludendis laicis erat satis. Hinc patet Suauianæ narrationis falsitas, quæ Cæsarem inducit à Pontifice postulantem, vt ex priuilegio illis quoque suffragij ius indulgeret, quibus neque lex neque consuetudo concedebat.

15 Postrema fuit: Vt Lutherani Concilium flagitent, literasq̄ue procuratorias legitimè mitterent: cum enim ipsorum reconciliatio nis gratiâ Synodus celebraretur, consentaneum videbatur, vt & ipsam poscerent, & eidem se obsecuturos pollicerentur. Verùm cum hæc conditio haud speranda videretur, eius abrogationem Nuntio permisit Pontifex, & re ipsâ fuit abrogata: nam vt in responsione Cæsar affirmavit; *Omnibus explorata erat hereticorum*

1530. *pertinacia & petulantia; ac proinde frustra cum illis super ea re certamen suscipi; atque utcumque foret, præcipuam convocandi Concilij causam esse, ut contra ipsos gereretur. Ex qua responsione conficitur, falso affirmasse Suavem (vt Operis huius initio redarguimus) delusam à Concilio proborum spem de reconciliandis hæreticis.*

a Cap 7. Apparatus.

b Augusti 18. Octobris 1530. in Diario citato Ludouiciorum. c 28. Nouembrii 1530. ex eodem Diario citato.

His responsis, cum aliis Cæsaris de eadem re literis, à Petro à Cueua^b Summo Cæsareæ Domus Præfecto Pontifici traditis, & in Vaticano Senatu recitatis, c communi Clementis, & singulorum Patrum sententiâ Concilij celebratio decreta. Quæ ad locum, aliasque rerum conditiones spectarent, Pontificis prudentiæ permissa, qui ad deliberandum de his peculiarem cœtum colligeret. Quare omni, quod in se erat, sublata morâ, primâ Decembris ad cunctos Christianos Principes eiusdem tenoris Diploma cõscripsit, in quo nullius postulatione commemorata, quod auctoritatis suæ vim supremam ostenderet, aiebat, se sperauisse per Cæsaris præsentiam hæreticos ad Ecclesiæ gremium reuocatum iri, quod præter Christianæ Reipublicæ vnitatem, magno fuisset emolumento ad se aduersus imperum minasque Turcarum communiendos. Sed vbi Cæsaris literis, sui que Legati ad id postea missi perceperat, nullum amplius ex ea opera fructum sperandum, se suum que Senatum excommare, nullum fore remedium siue tutius siue promptius eo, quod per huiusmodi occasiones adhibuerat Ecclesiæ, videlicet Vniuersali Concilio, ab ipsis Lutheranis postulato, vnde perpetuò duratura hæc hæresis curatio præscriberetur, & satis virium ad resistendum Solimanni conatibus compararetur. Proinde se Principes singulos cohortari, vt pro se quisque tam pium opus promoueret, omnesque, si fieri posset, per se Synodo præsto essent, vel certe per suos Oratores: Episcopos etiam suarum ditionum admonerent, vt ad idem parati promptique forent; cum ipse eam breuè esset indicturus in maximè opportuno Italiæ loco. Ac tempore quidem superuenire literæ à Gallia Rege, qui Pontificem ad id ipsum hortabatur. His bis quàm callidè tam frigidè suum euomit virus Suavis: semel, dum ait, Pontificis ministros ex industria vbique curasse, vt horum Diplomatum rumor spargeretur; quippe qui quamquam à Concilio abhorrent, studebant tamen homines in Aula Romanæ obssequio continere, per opem futuræ propediem morum correctionis: perinde quasi vniversale Diploma, ad singulos Christiani nominis Principes destinatum, vbi nihil arcani, plurimumque curiositatis inerat, plurimâ egeret industriâ vt vulgaretur. Iterum, dum opponit, fuisse animaduersam Pontificis affectationem ad

lecta in Senatu 5. Decembris 1530 vt in Diario citato Ludouiciorum.

Concilium, nondum loco statuto inuitantis. Quasi verò potuisset
 locus constitui, nondum consultis super eo Principibus; & ipsum
 Diploma ad aliud eos inuitasset, quam ut ipsi parati essent, prom-
 ptissime haberent Episcopos ad Concilium adendum, vbi fuisset
 indictum: quæ Principum voluntas, opus erat ut prius innotesce-
 ret Pontifici, quam Concilium indiceret, ne quid frustra inceperet.
 Neque quidquam aliud per ea Diplomata voluit Clemens, nisi
 omnibus palam facere, à se pariter opportunum existimari Conci-
 lium, sibi quæ esse in animo id celebrare, dummodò alij Principes
 non obtitissent.

C A P V T VI.

*Apologetica litera Protestantium ad Gallie & Anglie Reges. &
 Quod his impetratum. Alexander Nuntius, ad Con-
 uentum Spirensium & ad Casarem legatur.*

Protestantes iterum Smalkaldæ conspirantes, statuerunt Au-
 gustano Decreto neutiquam obtemperare, armisque sese tue-
 ri, à variis Lutheri libris ad ea inflammati; qui cum prius do-
 cuit, non esse Magistratibus reluctandum, dum verebatur ad sibi
 supra vires esse, eosque irritare periculosum, tunc factâ virium ac-
 cessione, sententiam mutauit. Hi ergo, ut Pontificis Diplomati
 aliquam excusationis speciem obtenderent, literas in modum Apo-
 logiæ ad Gallorum Anglorumque Reges scripsere, suæ causæ ratio-
 nem reddentes, Concilium liberum flagitantes, & vtriusque Sceptri
 opem implorantes. Vterque Regum alienus à Casare, cupidusque
 ad clientelam suam contumaces illius subditos pertrahere, perhu-
 mano responso Concilij petitionem tamquam iustam comproba-
 uit, & Anglus inprimis ad eam rem apud Casarem operam suam
 spondit; neuter verò quidquam penitus habuit eorum hæresim in-
 culcare: vnde Protestantium contumacia in Pontificem ac Casa-
 rem animosior sese erexit, & Gallus etiam Guillelmum Bellayum
 Langeum ad eos misit, quò fœdus eum ipsis iniret, opemque ad ipsos
 tuendos offerret (non ad Casarem offendendum, ut refert Marti-
 nus Bellayus Guillelmi frater in sua Historia) quæ res ansam præ-
 buit hæreticis Germanis & Gallis, eas literas, eaque negotia Fran-
 cisci Regis iactandi, quasi iura quæ sibi arrogauerant promouen-
 tis; quamquam ille reuera semper Fidei Catholicæ tenacissimus
 extiterit, capitalique supplicio eos omnes multauerit, qui ausi
 sunt uita lib. 1.

* Lib. 4. &
 Spondanus
 ann. 1531.
 num. 31.

* Vide Ca-
 tharinum A.
 sunt uita lib. 1.

Historia
 Concilii
 Tridentini
 Lib. 3.
 Cap. 6.